

00 wj

Sammelband!

Herrn!

de

Print wj

Q. D. B. V. 01
SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS
AVGVSTISSIMI REGIS BORVSSIAE
DOMINI

FRIDERICI II.

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI LONGE
CLEMENTISSIMI

IVBILAEVM TERTIVM

ARTIS
TYPOGRAPHICAE

PER DIVINAM PROVIDENTIAM INVENTAE

IN

ILLVSTRI COLLEGIO GROENINGIANO
TRIBVS ORATIONIBVS PROFESSORIIS

FVTVRO MERCVRII DIE DIE XII. IVLII HORA IX. ET SEQQ.
ANTEMERIDIANIS CELEBRANDVM

RITE INDICIT

M. DAN. GODOFRED. WERNER

ILLVSTRIS COLLEGII GROENINGIANI RECTOR.

STARGARDIAE

APVD IOH. CHRIST. FALCKIVM, TYPOGR. REG. PRIVIL.



Q. D. B. V.

AVGVSTISSIMI REGIS BORVSSIAE
SVE FELICISSIMIS AVSPICIIS

DOMINI

FRIDERICI III

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI LONGE
CLEMENTISSIMI

IVBILAEVM TERTIVM

ARTIS

TYPGRAPHICAE

PER DIVINAM PROVIDENTIAM INVENTAE

III

ILLVSTRI COLLEGIO GROENINGIANO

TRIVS ORATIONIBVS PROFESSORIS

AVTENTICE REPERTVS THEOPHILVS HENRICHVS

ALBANUS GODDORRED. WERNER

IN VINDOBONA

MDCCCXXXIII

AVTENTICE REPERTVS THEOPHILVS HENRICHVS





Q. B. F. F. Q. S.



Laetatur iam orbis eruditus et iubila canit
de arte libros imprimendi, trecentis abhinc
annis inuenta, et DEO benignissimo ob
eandem per tria secula conferuatam pa-
riter et amplificatam solennes gratias
agit. Est enim beneficium, quod ille
coelestis dator omnium munerum in
vltimis temporibus dedit, ad opprimendam barbariem, quae
per tot secula late regnauerat, ad spargendos vndique lucis
veritatis et sapientiae radios, coeca nocte dispulsa, quam mor-
talia pectora habebant, et ad prorogandos regni sui fines,
quos insana superbia et dominatio, funesta opum cupido, et
supiniores deliciae, claustris quasi cohibere videbantur. Hinc
inuentum *typographiae* opus diuinum et res *diuinae inspiratio-
nis* celebrari coeptum est. Insignis *Argentoratensium* theolo-
gus, IOHANNES SCHMIDIVS, memoriam secularem in-
uentae *artis typographicae*, superioris seculi anno quadragesimo,
tribus sermonibus sacris in *Psalmi CXI. 2.* *Magna opera sunt Ie-
houae, in quae inquirunt, quicumque iis delectantur,* habitis, per-
egit.

egit. In quorum deinde publici iuris factorum titulo *artem typographicam dixit ex inspiratione divina inuentam.* (a) Et IOHANNES BAPTISTA NATOLINI *artem typographicam diuinae inspirationis opus fuisse ex hieroglyphica nominis, Magoncia, euolutione et porro inde, quia primum Romam fuerit translata, probare satagit.* (b)

SCHMIDIVS quidem in ipso primo sermone sacro satis conuenienter mentem suam explicat; sed, quas NATOLINI adfert rationes, eae minus aptae videntur.

In forma loquendi autem ipsa *Caracabresis est.* *Diuinam enim inspirationem* tribuimus viris sanctis, qui à Spiritu S. immediate acti sunt: tales erant prophetae et apostoli, tam veteris quam noui testamenti doctores scriptoresque diuini: tales erant artifices diuini, qui ad tabernaculum sanctum eiusque vala et ornamenta, ex iussu DEI, ad ostensum in monte exemplar, conficienda sunt adhibiti, *Bezaleel, Oholiab* atque eorum focii. Quos eum in finem DEVS nominatim vocauit et iussit suoque spiritu impleuit. (c)

Habebant ergo *immediatam vocationem* ad munia sua ob-eunda: habebant *supernaturalem* eamque plenam instructionem ad ea, quae perficere debuerunt: vnde habitus *supernaturalis* atque *infusus*, qualis in ipsis apostolis, communibus omnium gentium et nationum doctoribus, erat, peregrinis linguis

(a) *Drey Christliche Danck-Predigten, wegen dero im Jahr 1440. und also vor zibvey hundert Jahren durch göttliche Einzebung in Strasburg ersundenen hochwuerthen zheuren Buchdrucker-Kunst nach Anleitung des andern Versiculs des iii. Psalms: Groß sind die VVercke des HErrn, über ihr achtet, der hat eit el Lust daran, in Volckreicher Versammlung zu Strasburg anno 1640. den 18. 25. Aug. und 1. Sept. gehalten, und auf Begehren in Druck gegeben, durch Johann Schmidt, der Heil. Schrift Doct. und Prof. publ. und des Kirchen-Consents praesidem daselbst. Strasb. 1641. in 4.*

(b) *In discorso intorno Parte della Stampa. Vdine, l'Autore MDCVI. in fol. vbi artem typographicam à Iohanne Gutenbergio anno 1442. Moguntiae inuentam et anno 1458. vel 65. in Italiam transportatam esse scribit. Conf. CL. V. M. AVGVSTI BEYERI memorias historico criticas librorum rariorum no. XXVI. p. 48.*

(c) Exod. XXXI. 2. 6. XXXV. 30. XXXVI. 1. 2.

linguis promte atque perfecte loquendi, quas nunquam antea edidicerant: qualis etiam fuit artificum illorum, *Bezaleelis, Oboliabis* et sociorum, quos impleuit DEVS per spiritum suum sapientia, prudentia, scientia et omni arte, quorum animis indidit sapientiam. Quae, ex more loquendi scriptoribus sacris vsitato, ea significant, quae excellentissimi ingenii vires naturales omnemque industriam humanam longe superant. Quod contra IOH. CLERICVM eiusque affectatorem, *Wertbeimensen* interpretem germanum, obseruandum, qui per ea non volunt intelligi adflatum vllum, qualis prophetarum fuit, sed ingenium vel indolem à DEO nascentibus datam.

Licet igitur in primis *typographiae* inuentoribus *supernaturalis* ille atque *infusus habitus* non esset: DEVS tamen cum ipsis fuit et via ordinaria ingenii dotes et industriae humanae vires ad inueniendam artem vtilissimam direxit. Quodsi vero *inspirare* in sensu duplici sumatur, latiori nempe et arctiori, prouiri *reuelare*, quod generalius ad *naturalem* notitiam, (d) strictius ad *supernaturalem* pertinet: *inspiratio*, angustiori sensu accepta, *supernaturalis* est atque viris DEI sanctis propria, qui extraordinario eoque immediato Spiritus coelestis motu et adflatu impulsu sunt; latius vero ad eos extendi potest, qui auspice et duce sapientia diuina, eaque per vias ordinarias singulariter agente, trahuntur. Quem tamen laxiorem significatum non temere admittit vsus et forma in rebus diuinis caute loquendi, nisi per *catachresin*.

Nihilominus est et manet ars typographica, donum, beneficium, et opus DEI singulare, quod profectum est ab illius prouidentia, qua omnia, praecipue vero suam ecclesiam moderatur atque gubernat. Nam IACOBO, viro diuinitus inspirato, teste, (e) *omnis donatio bona et omne bonum perfectum existit è supernis, descendens à patre luminum, apud quem non est immutatio vlla, nec vicissitudinis vmbra*. Dicitur autem pater lu-

A 3

minum

(d) Rom. I. 19.

(e) Iac. I. 17.

minum, quia fons et origo est veritatis, sapientiae atque salutis et gignit ecclesiam suam per *verbum veritatis*, (f) quod est *semen omnis corruptionis expers, sermo DEI viui et manens in aeternum*. (g) Quod in vltimis hisce temporibus, ope et beneficio artis *typographicae* in omnes orbis terrarum partes vberissime sparsum et disseminatum est. Quodnam ergo melius et pulchrius munus est, quod prouida benignissimi Numinis cura hominibus postremae mundi aetatis largiri potuit, quam *ars typographica*? Est, inquit LV THERVS, cui DEVS in subsidium instaurandae lucis verbi diuini artem hanc iam ante praestituerat, *est summum et postremum donum, per quod DEVS causam euangelii urget, est postrema flamma antequam mundus extinguatur*. (h)

Enumerare possumus artium multitudinem, sine quibus hominum societas, vita, felicitas omnino nulla esset. Quarum inueniendarum principes homines certe fuerunt. Sed nihil fecerunt sine Numine. Quod etiam agnoscebant, qui lumine reuelatae veritatis erant destituti. SENECA, *ille DEVS est, scribit paucis intersertis*, (i) *qui tot artes commentus est. Neque enim nostra ista, quae inuenimus, dixeris, non magis quam quod crescimus, quam quod ad constitutum temporum sua corpori officia respondent. Nunc puerilium dentium lapsus, nunc adsurgentem iam aetatem et in robustiorem gradum transeuntem pubertatem, et vltimus ille dies fugiendi vitae terminum ponens. Insa sunt nobis omnium aetatum, omniumque artium semina magisterque ex occulto DEVS producit ingenia. Et nos recte colligimus ex artium inuentione DEVM et diuinam prouidentiam. Quae vero ars praestantior, quae genti humanae salutarior, quam typographia? IACOBVS PHILIPPVS BERGOMAS, postquam*

(f) v. 18.

(g) 1. Petr. I. 23.

(h) in fine der Tischreden edit. meae de anno 1567, die Druckerey ist summum et postremum donum, durch Welche GOt die Sache des Euangelii fortreiber. Es ist die letzte Flamme vor den Auslöschten der Welt. v. etiam Ioh. Schmidt, conc. cit. p. 18.

(i) de Benefic. lib. IV. c. 6.

quam artem imprimendi libros in germania primum enatam esse commemoravit, statim subiecit: (k) *qua certe nulla in mundo dignior, nulla laudabilior aut profecto utilior, suae diuiniore et sanctior esse unquam potuisset. In cuius laudem quidam ex nostris (Italis) hoc cecinit versus dicens,*

*O felix nostris memoranda impressio seclis!
Inuentore nitet utraque lingua tuo:
Desierat quasi totum quod fundis in orbem,
Nunc paruo doctus quilibet esse potest.
Omnes ee summis igitur nunc laudibus ornet,
Te duce, quando ars haec mira reperta fuit.*

Eam quoque nulli nec dignitate, nec utilitate, nec subtilitate cedere asserit CARDANVS, et BODINVS assentitur, eandem cum omnibus omnium veterum inuentis certare facile posse. (l) Certat omnino et vincit in eo, quod probat manifestissime, quantam salutis humanae procuracionem DEVS habeat.

Ingenia hominum, inquit, non consulto sed casu ut plurimum in artium inuentiones inciderunt; idque etiam contigit primis typographiae auctoribus. Bataui enim de suo *Harlemensi*, LAVRENTIO IOHANNÉ SACRISTEIN s CO-
STERO, enarrant, cum pro more habuisse exspaciare in suburbano nemore, in siluis obambulare, et, cum forte meditabandus in amoenis hircis confedisset, temporis fallendi causa, venisse in mentem in fagino cortice, literarum typos formare, dein nomen incidere: idque impressisse dorso manus, relictis toridem in cute literis: mox versuculum unum atque alterum animi gratia ducere et recta linea literas? quas atramento imbuisset nouus artifex et purae chartae impressisset. Hoc primum fuisse artis maximae rudimentum. (m)
IOHANNI GVTENBERGIO autem annuli sui aposphragi-
sima

(k) In supplem. supplementi chronicarum fol. 299. a.

(l) utrumque adduxit Schmidt, l. c.

(m) ex IVNIO et SCHREVELIO ea vberius recensuit STRVVIVS in *Introduct.* in *notitiam rei litter.* c. XI, §. IV.

sma cerae forte impressum et deinde obuium torcular dicuntur
 occasionem dedisse et artem inueniendi et prelum. Sic enim
 IOHANNES ARNOLDVS BERGELLANVS cecinit. (n)

*Annulus in digitis erat illi occasio prima
 palladium vt coelo sollicitaret opus,
 illum tentabat molli committere cerae,
 redderet vt nomen litera sculpta suum.*

*Respicit archetypos, auri vestigia lustrans
 et secum tacitus talia verba refert.*

*Quam belle pandit certas haec orbita voces,
 monstrat et exactis apta reperta libris.*

*Quidsi nunc iustos, aeris ratione reducta
 tentarem libros cudere mille modis.*

*Robora prospexit dehinc torcularia Bacchi
 et dixit preli forma sit ista noui.*

Sed quis fingit et format hominum ingenia; quis eorum
 distribuit varietatem? quis vnum excitat praestantius altero?
 quis auget mentis vires? quis cogitationes dirigit? *quis indidit
 praecordis sapientiam aut quis dedit intelligentiam menti?* (o)
 DEVS. (p) Ita etiam SENECA respondet, quem supra in te-
 stimonium adhibuimus: *Magister ex occulto DEVS producit inge-
 nia.* Neque vllus est apud DEVM et coram DEO casus fortui-
 tur, qui nil consilii admittit. Qui enim omnium sapientissimus
 est, omnia sapienter regit et consilio moderatur. Casus for-
 tuiti à sola hominum coecitate pendent, qui errant et nesciunt
 vias et consilia prouidentissimi Numinis. Si rerum causa et ori-
 go in iis sita esset, cur iidem casus non semper et vbique eun-
 dem proferunt effectum. Iam CICERONIS aetate homines
 mente conceperunt formas literarum et nemo incidit in typo-
 gra.

(n) in poemate encomiastico de chalcographiae inuentione.

(o) Job. XXXVIII. 36.

(p) Prouerb. II. 6.

graphiae inuentionem. TVLLIUS enim in illo ipso loco, (q) ubi contra corporum concurfionem fortuitam disputatur, scribit: *Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae literarum vel aureae, vel qualeslibet aliquo coniciantur, posse ex his in terram excussis annales Linnii, ut deinceps legi possint, effici, quod nescio an ne in vno quidem versu possit tantum valere fortuna.* Pastor in *Bucolicis* VIRGILII (r) temporis fallendi causa, aequae ac *Harlemensis* COSTERVS, *in viridi --- cortice fagi*

carmina descripsit,

neque tamen ipsi venit in mentem literas effingere ad imprimendos libros. Et si cui vel maxime ex vulgari et simplici hac occasione obuenerit cogitatio de arte imprimendi libros: nondum tamen placuit prouidentiae DEL, rem totam ad plenum effectum perducere. Quod in ipso COSTERO vidimus. No- uit etiam celebris apud Auricenses in Frisia orientali theologus, BERTRAMVS, hominem, qui paruulus puer, licet libros impresos vidisset, quomodo vero imprimantur, nesciens, saepius in easdem venerit cogitationes, quas habuit COSTERVS, nempe formas literarum ex cortice excidendi, excisis colorem illinendi, illitasque imprimendi: quod etiam ludendo pueriliter tentauerit; sed deinceps missum fecerit. (s) Sic plures multis ante seculis in easdem cogitationes incidere potuerunt: quibus tamen non contigit gloria *typographiae* artem inueniendi. Multi etiam ante GV TENBERGIVM luserunt cum annulo suo et admirati sunt imaginem vel nomen, quod ipsi intusculptum fuit, in cera vel alia molli materia expressum: multi viderunt et considerarunt torcularia; et nemini tam felicem esse contigit, ut inuenta nobili arte nomen suum posteritati commendaret. Quid dicam de arte caelandi, sculpendi, fundendi metalla et aliis antiquitus celebratissimis, quae quasi manu ad inueniendam artem typographicam ducere potuissent; sed illarum sagacissimi

B

mi

(q) De natura Deorum lib. II. c. 37.

(r) Ecloga V. 13.

(s) in *Hamburgischen Berichten*, huius anni n. XLVI, p. 398.

mi cultores, nulla via, nulla ratione, nulla fortuna eo peruen-
nerunt.

Vnde facile quisque intelliget, artem hanc vltimis mundi
seculis inuentam, auctam atque ornatam, opus esse consilii di-
uini. Diuini fructus et effectus testantur de causa. Non com-
memorabo, quantum post deuictam barbariem et disiectas,
quibus superiora secula circumfusa erant, ignorantiae tenebras,
subsidium eruditioni et sapientiae, tam instaurandae vndique,
quam propagandae, fuerit. Quod *Harlemenses* nuper in nummo
seculari eleganter expresserunt. Cuius prima facies praefert
vultum Laurentii Iohannis Costeri, ad dextram, *libros* et inter eos
inscriptum quendam: *Spiegel ouzer behoudnis*, 1440. qui primus
à Costero impressus fuit: (t) iuxta illum *lampadem ardentem* et
serpentem, qui corpore suo circulum describit, aeternitatis sym-
bolum: ad sinistram, *prelum* et *testam*, in qua viret herba, quam
vulgo vocant *semper-uiuum*; antierius, *lauream*; in basi effigei
verba: *alter Cadmus*, et in circuitu *L. I. Costerus Typogr. inuent.*
a. 1440. In altera facie vrbs *Harlemum* exhibetur cum insigni-
bus suis; super quam *Fama* volat, dextra *librum* tenens; sini-
stra *buccinam ori admotam*, addito in circuitu lemmate; HINC
TOTVM SPARGVNTVR IN ORBEM LITTERAE; in-
fra vero, PER TRIA SECVLA MDCCXL. Sed ponde-
randum vnique relinquo, qua virtute verbum DEI, quod
per longum tempus imprudentiae inscientiaeque sepultum
quasi iacuerat, per *typographiam* eruperit in omnes gentes, na-
tiones et linguas. Quod WILHELMVS ERNESTVS TEN-
ZELIVS, qui tam ingenio quam doctrina immortalis factus est,
in numismate, in memoriam quinquagenarii seculi quinti ma-
nifestatae typographiae inuento, repraesentauit. (u) Cuius vna
facies

(t) conf. SCHELHORNII amoenit. lit. Tom. XI. p. 969. ff.

(u) vide eius *Discours von Erfindung der löblichen Buchdrucker-Kunst in Teutschland*
bey Gelegenheit ihres anscheinenden fünfsten Jubel-Jahres. Götha 1700. in 12. P. 93.
Numus ipse excusus est à *Vermuthio* v. *Lefferum* in *typograph.* inbilante p. 188.
in annot.

facies inscriptionem continet: *Arti typographicae à Ioan. Guttenbergio argenterati inuentae ac ope consilioque Ioan. Faustii moguntiae an. MCCCCL. bibliis latinis aeneo caractere impressis primum vulgatae quintum iubilaenum anno Christi iubilaeco MDCC. feliciter celebranti sacrum*: altera facies sistit sub specie mulieris *Auroram* in curru alato, quem *Pegasus*, phosphoro illuminatus, trahit, stantem, dextra tenente ardentem facem, sinistra rosas floresque spargente, praeunte gallo cantante, et post tergum oriente sole, verbisque in circuitu: **VT AVRORA MVSIS AMICA SOLEM**, et infra: **SIC TYPOGRAPHIA RENATVM EVANGELIVM**, appositis. Neque incommode hic referri possit illud de verbo **DEI** vaticinium: *nullus sermo, nulla dialectus, ubi non audiatur eorum sonus, in uniuersam terram linea ipsorum exiit, et ad extremum orbis eorum verba.* (z) Celeberrimus Parisiensis theologus, **IACOBVS LE LONG**, exhibet delectum praecipuarum sacrae scripturae editionum, octo et quadraginta linguis exaratarum. (a) Et ille ipse dedit etiam bibliorum excusorum elenchum chronologicum (b) ab anno 1457. ad annum 1719. qui numerum ineffabilem bibliorum sacrorum, in omnibus linguis, per omnes orbis terrarum partes, dispersorum continet. Incepit autem à septimo demum anno, postquam anno 1450. typographia Moguntiae bibliis latinis, aeneo caractere impressis, primum vulgata erat, et desinit in anno 1719. Ex his igitur annis viginti, qui inde ad praesentem 1740. praeteriuerunt, insigne supplementum scribi posset. Omnium autem feracissima fuit nostra Germania, quam propitius **DEVS** dignatus est, in qua lumen euangelii prorsus extinctum redaccenderetur. Iam ex typographia Lustiana, paulo post coeptam religionis emendationem, Wittebergae ab anno 1534. ad annum 1574. biblia, ex versione Lutheri germanica, centiesmillies impressa prodierant: sed nostra aetate in officina Halensis Orphanotrophei ex pio

B 2

insti-

(z) Psalm. XIX. 4. s.

(a) In bibliotheca sacra Tom. I. p. 530. edit. nouae in fol.

(b) ibid. p. 472.

instituto *b. Baronis DE CANSTEIN* ab anno 1712. vsque ad finem anni 1739. nouum testamentum 340000. biblia formae octauae maioris 180000. eadem formae duodecimae maioris 300000. nouum testamentum et psalterium ex bibliis minoribus 260000. excusa fuerunt. (c) Quantane copia bibliorum germanicorum, cum per tria secula, tum maxime nostra aetate, ex aliis urbibus et oppidis omnium germaniae prouinciarum, emissa est?

Per DEI prouidentiam antequam Lutherus vindex et restitutor purioris doctrinae diuinitus excitatus veniret, iam paratus erat currus triumphalis, *typographia*, in qua maiestas veritatis victricis se vbique manifestaret. Nam per IOHANNEM FROBENIVM, Basiliensem typographum celebratissimum, scripta *Lutheri* inter Gallos et Hispanos, et per typographos haud minoris nominis, IOHANNEM LVFTIVM et MELCHIOREM LOTTERVM, in omni Germania illico publicabantur. Vt iam alios *typographiae* fructus et beneficia sicco pede praeteream, quae iam eleganti breuitate omnibus exposuit V. CL. FRIDERICVS CHRISTIAN. LESSERVS, qui hodie doctrinae suae claritate Nordhusanam ecclesiam inter Thuringos illustrat. (d)

Quantum denique *ars typographica* ad regnum DEI, quod euangelii praedicatione et religione vera continetur, etiam inter hodiernos infideles dilatandum contribuat, exemplo est *typographia malabarica*, quae per nuntios euangelii, Daniae Regis iussu, auctoritate atque clementia, ex Halensi academia in orientalem Indiam missos, *Tranquebariae* in ora maritima *Coromandel*, Danis subiecta, instituta est (e) Vt iam taceam *typographiam*

at a-

- (c) *v. ausführlicher Nachricht vom Cansteinischen Bibeldrucke* in fine vitae SPENERI et B. DE CANSTEIN, quam celeberrimus Halensium theologus, Summe reu. IOACH. LANGIUS h. a. edidit sub tit: *Das Muster eines rechtschaffenen Lehrers in der erbaulichen Lebens-Beschreibung D. Phil. Jacob Speners vom seel. Herrn Carl Hildebrand, Freyherrn von Canstein, Verfaßt mit Anmerckungen und angehengten Lebens-Lauff des ged. Herrn Barons*, in 8. p. 423.
- (d) in libro nuper edito: *Typographia Iubilans. d. i. kurtzgefaßte Historie der Buchdruckerey etc.* in 8. Leipzig 1740. §. 136. ff. (e) *Lesser* l. c. §. 63.

arabicam, quam clarissimus academiae Halensis theologus, IOHANNES HENRICVS CALLENBERGIVS ibi erexit, ex qua libri nostrae fidei emissi inter Mahomedanos Europae, Asiae atque Africae disseminati fuerunt. (f)

Maxime igitur regnum tenebrarum inter Turcas sibi à *typographia* timet, ne per vim tam diuinæ artis robur suum debilitetur et subuertatur. Quod ALEXANDER HELLADIVS enarrat, *Conati quidam sunt*, inquiens, (g) *olim mediocriter docti ac eruditi Graeci, ut artem typographicam diuinitus inuentam abusuque iam ferme inquinatam, in graeciam quoque introducerent, ut gens Turcarum barbara illa et ferox non minus quam rerum, quae ad amplificandam rempublicam Christianam multum, imo vero plurimum faciunt, inuidia odioque plena nequaquam passa est, idque non aliam ob causam, nisi quod suae religioni timerent, ne, dum inter subditos suos artes liberae et omne eruditionis genus flourer, facile religio eorum, una cum imperio, ruinam pateretur.* Accedit, quod librarii Turcarum ingens quaestus sui periculum sibi ab hac arte metuant: hinc eam non minori rabie impugnant, quam Demetrianum istud opificum vulgus apud Ephesios euangelii praedicationem.

Quod paucis abhinc annis experti sunt nouae in vrbe Constantinopolitana typographiae auctores, quorum dux et princeps erat *Ibrahimus*, Vezirius magnus, seu, imperatoris turcici praefectus praetorio, qui non in urbem solum, sed in ipsum imperatoris palatium eam anno 1728. induxerat. Laetabantur tunc omnes de aurora musis amica Constantinopoli orta; sed subitum solis deliquium spem clarioris diei extenuauit. *Ibrahimum* enim saenitia indignantis plebis, quam superstitio et lucripetarum librorum furor concitauerant, lacerauit foedum in modum et canibus proiecit. (h)

Eodem ex libris describendis compendio capti monachi et moniales iam artem typographicam in primis suis incunabulis

A 3

infe-

(f) Idem § 79. p. 139. ff.

(g) de statu praesenti ecclesiae Graecae c. 1. p. 3.

(h) v. Heumannii Conspectus hist. litter. lib. IV. §. 75. Idem in Poecilis Tom. III. p. 295. Lesserus l. c. p. 102. ff.

infestabant, et, quum nihil aliud possent, odium et indignationem declarabant, primos auctores, prouti stupidae et supinae incitiae mos erat, *magiae* accusando. Facilem habebant iudicem multitudinem imperitam, quae omnino mirabatur, ab vno homine, vno die, tantum literarum in primum, quantum vix vno anno scribi à pluribus posset. Erat etiam spectantibus admirationi, quum typi per tot exemplaria diffusi et characteres per omnia sibi responderent, quod in libris manu scriptis impossibile est. Vnde emtores primorum bibliorum, à FAVSTO impressorum, pro impostore eum habuerunt, exemplaria carimenta, pretii restitutionem postulantes, reddiderunt, tantasque viro excitarunt molestias, vt Parisiis, vbi merces suas vendiderat, clanculum aufugere cogeretur. Quam simul et alias causas adduxit elegantissimus FRIED. WILH. BIERLINGIVS in sua, *de pyrrhonismo historico*, commentatione, (i) ex quibus IOHANNES FAVSTVS, vnus ex primis inuentoribus artis, in magiae suspicionem et crimen venire potuit.

Quod deinde occasionem dedit infastas, de *Fausto praestigiatore*, fabulas fingendi et compilandi: sicuti probatum iuit IOHANNES CONRADVS DVRRIVS in singulari epistola, quam SCHELHORNIVS *amoenitatibus suis* inseruit. (k) Cuius sententiae calculum suum adiecerunt, HVMPHREDVS PRIDEAVX (l) GVSTAVVS GEORG. ZELTNERVS (m) MISSIONIVS (n) et alii eruditissimi viri.

Subsequenti aetate multi etiam fuerunt, qui nobilissimam artem infestati sunt. Inter quos nominandus quidam GVIL-
LERMVS INSVLANVS MENAPIVS, qui *stateram chalcographiae* scripsit; qua bona ipsius et mala simul appenduntur et numerantur. Quae primum Basileae anno 1547. edita iam inter
montu-

(i) c. III §. 6. p. 160.

(k) Tom. V. p. 50.

(l) in dem alten und neuen Test. in einer Connexion mit der Jüden und benachb. Völker Historien Tom. I. p. 279. not.

(m) in Vitis theol. Altorfensium, p. 508. not.

(n) huius vt et priorum loca vide apud BIERLINGIVM l. c. p. 159. not. f.

monumenta typographica, quae clarissimus WOLFIVS Hamburgi collegit et publicavit, denuo apparet. (o) Recte quidem à nonnullis abusus typographiae reprehenditur. Id quod fecerunt AHASVERVS FRITSCHIVS in *paraenese de abusu typographiae tollendis* (p) et CHRIS TIANVS GERBERVS, (q) sed eam vterque agnuit beneficium DEI singulare. Nam ille ab initio *suae paraeneseos* praedicat illam *maximum beneficium generique humano diuinitus communicatum*; hic vero eandem retulit inter beneficia nunquam satis recognita. (r) Licet igitur homines munere diuino improbe atque puerse vtantur, id tamen dignitati eius non magis nocet, quam auctoritati verbi DEI, quando diabolus eiusque mancipia illud in fraudem atque malitiam conuertunt.

Quae cum ita sint, est et manet ars typographica pulchrum et praestabile munus, quod in vltimis hisce seculis DEVS benignissimus ad regnum suum amplificandum atque impertendam hominibus salutem dedit.

Hinc satis causae est, cur patri coelesti omnium, quae mortalibus bona sunt, praestitori et tributori optimo, vnaquaeque prouincia, vnaquaeque vrbs, vnaquaeque sapientiae et pietatis officina, quae tanti beneficii particeps facta est, solennes gratias agat, quod donum suum per tria secula non conseruauerit solum, sed auxerit quam maxime ac vbiuis gentium disperlerit.

Haud ita multo post ortum suum ars haec egregia penetravit etiam in Germaniae nostrae oras septentrionales. Extant enim *Lactantius* anno 1476. et *Bernardi sermones* anno 1481. *Rostochii*, vrbe inter Mecklenburgicos iam ab anno decimo nono seculi decimi quinti per academiam celebratissima, impressi. (s) Quando autem in Pomerania primum recepta sit, definiri non potest. Floruit tamen statim à seculo decimo sexto, *Sedini*, *Gryphiswal-*

(o) v. *Hamb. Berichte* h. a. no. 47. pag. 307.

(p) quae *Annstadiæ* in Thuringia prodit 1662, in 4.

(q) *In Fortsetzung der unerkannten Sünden*, lib. II. c. 37. p. 625.

(r) *unerkannten Wohlthaten Gottes*, p. II. c. 37. p. 675. (s) v. *Lesserus* l. c. §. 35. p. 62.

phiswaldae, Stralsundi, Barthae, Colbergae. Apud nos vero superiori demum seculo sedem fixam cepit, et post BERGERVM CAMPE, IOHANN. NICOL. ERNSTIVM, IOHANNEM TILLERVM, hodie officinae librariae in hac nostra ciuitate praestitit honestissimus vir et artis suae peritissimus, IOHANN CHRISTIAN FALCKE, qui liberaliter consilium nostrum, inuentae trecentis abhinc annis typographicae artis memoriam secularem in collegio nostro Groeningiano celebrandi, adiuuit.

His itaque solennibus tempus antemeridianum futurae mercurii diei, diei XII. Iulii, destinauimus. Quo cathedram ascendam primus et orationem germanicam eamque solutam, de *orta seculo decimo quinto felicitate seculorum subsequentiū* recitabo. Me deinceps ordine suo excipient duo coniunctissimi *domini collegae, viri amplissimi et longe doctissimi,*

DOMINVS, DAVID SIEGFRIED LEISTICOVIVS,
eloquentiae et mathematicarum professor meritissimus,

et

DOMINVS, IOHANNES DANIEL DENSOVIVS,
poeseos et stili latini professor itidem meritissimus.

Quorum ILLE oratione germanica ligata, *introductionem artis scriptoriae siue litterarum apud Graecos a Cadmo phoenice cum inuentione apud germanos artis typographicae* contendet; HIC autem eadem lingua eodemque dicendi genere *praestantiam inuentionis artis typographicae* celebrabit.

Ad quas tres orationes professorias beneuole atque patienter audiendas, omnes, qui gloriae et dignitati bonarum artium et scientiarum, earumque ministrae et comitis, artis typographicae, fauent, *viros cuiuscunque ordinis generosissimos, amplissimos, nobilissimos, doctissimos, spectatissimos, honestissimos, Maecenates nostros, patronos, fautores atque amicos,* ea, qua decet obseruantia et humanitate, omnesque *collegii nostri ciues charissimos* amanter et patrie inuitamus.

P. P. Stargardiae Pomeranorum Dominica IV. p. Trinitatis

MDCCXL.



AB: 138960

ULB Halle


002 628 732


3



R-12 VIIA 20







Q. D. B. V. 71
SVB FELICISSIMIS AVSPICHIIS
AVGVSTISSIMI REGIS BORVSSIAE
DOMINI
FRIDERICI II.
PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI LONGE
CLEMENTISSIMI
IVBILAEVM TERTIVM
ARTIS
TYPOGRAPHICAE
PER DIVINAM PROVIDENTIAM INVENTAE
IN
ILLVSTRI COLLEGIO GROENINGIANO
TRIBVS ORATIONIBVS PROFESSORIIIS
FVTVRO MERCVRII DIE DIE XII. IVLII HORA IX. ET SEQQ.
ANTEMERIDIANIS CELEBRANDVM
RITE INDICIT
M. DAN. GODOFRED. WERNER
ILLVSTRIS COLLEGII GROENINGIANI RECTOR.

STARGARDIAE
APVD IOH. CHRIST. FALCKIVM, TYPOGR. REG. PRIVIL.